PROLEGOMENA

IN

IOANNIS LAURENTII LYDI

LIBRUM DE MENSIBUS

DENUO EDENDUM

SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

VENIAM DOCENDI RITE IMPETRANDAM

DIE XVII. M. OCT. A. MDCCCXCVIII HORA XII

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

RICARDUS WUENSCH

MATTIACUS

ADVERSARII ERUNT:

GUILELMUS KROLL, DR. PHIL.

GUSTAVUS TUERK, DR. PHIL.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCVIII

Reliqua propediem ex officina Teubneriana procedent addita ipsius libri de mensibus editione.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

IOANNIS LAURENTII LYDI

LIBER DE MENSIBUS

EDIDIT

RICARDUS WUENSCH

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCVIII

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

GEORGIO WISSOWA

S.

Ἡ (Ἰωάννου Λαυρεντίου Φιλαδελφέως τοῦ Λυδοῦ) περὶ μηνῶν (πραγματεία), εἰ καὶ πολὺ τὸ ἄχρηστον ἔχει, ἀλλ' οὖν πρὸς τὴν τῆς ἀρχαιότητος μάθησιν ἐπίχαρί τε καὶ λίαν χρειῶδες: sic olim de libro, quem Ioannes Laurentius Lydus conscripsit de mensibus, iudicavit Photius patriarcha (bibl. cod. 180), cuius iudicio hodie quoque assentiri possumus. quamvis enim altera ex parte nugarum mysticarum multitudo, qualis ab Ioanne Laurentio profertur, digna vix videatur esse, quae posteris tradatur, tamen ex altera certe operae est pretium multifariam illam doctrinam, qua Byzantii quondam excellebant viri, qui docti habebantur, plenius cognoscere et, qua in re summa eius, quae Laurentio attribui solet, laudis posita est, ipsum secutos ad fontes adscendere, e quibus scientiam suam hauserit. cum vero illorum fontium condicio ea sit, ut auctores adhibuerit Lydus ipso semper fere meliores, qui temporum iniquitate nobis servati non sunt — imprimis eos dico, qui scripserunt de Romanorum antiquitatibus —, ob hoc ipsum veterum auctorum studium minime neglegendum esse librum illum de mensibus patet. quin etiam eandem ob causam valde dolere debemus, quod non integrum opus περὶ μηνῶν aetatem tulit, sed contractum et excerptum ad nos pervenit, quodque qui epitomas illas sibi fecerunt viri docti non tam historiam litterarum et antiquitatem cum graecam tum romanam respexerunt, quam astrologiam et Pythagoreorum recentiorum Platonicorumque placita mystica. atque talia libri Laurentiani fragmenta e nonnullis codicibus quos fors

obtulerat collecta saepius ad hunc diem prelo mandaverant viri docti; nondum autem constabat, utrum ea sola e libro, quem Lydus de mensibus conscripserat, superessent, an fortasse hic illic alia quoque laterent abdita: quare Georgius Wissowa, cum ante hos quinque annos in Italiam proficiscerer, me monuit, ut animum attenderem, si forte in bibliothecarum scriniis frustula quaedam a libro de mensibus avolsa reperirem. quod me fecisse minime paenitet: nonnulla enim nova non apud Italos solos, verum etiam apud Francogallos Hispanosque reperisse mihi visus sum quae in lucem proferrentur adeo digna, ut denuo edendum librum illum *περὶ μηνῶν* mihi proponerem. cui editioni cum non id propositum sit, ut integrum auctoris opus promat, immo ut e lacerati dispersis membris corpus, quale quondam fuit, componat, brevem praemittere dissertationem opus esse apparet, conscriptam de codicibus, quibus Laurentiani libri singulae partes ad hunc diem servatae sint, et de editionibus, quibus ille in lucem sit prolatus; praeterea autem quaerere est necesse, quaenam hodie supersint libri integri partes quaque ratione inter se possint componi: quae omnia una continua narratione, de Lydiani opusculi fatis composita, amplectar.

cod. O Ioannis Laurentii tractatum de mensibus post medium sextum saeculum conscriptum usque ad Photii tempora codicum manuscriptorum ope traditum fuisse ipsius patriarchae testimonio docemur, qui legisse se illum affirmat. talis codicis integri vestigium servatum nobis est in codice qui vocatur Caseolino, Parisinum supplementi graeci dico numero signatum 257, in editione O vocatum, quem accuratius descripsit C. B. Hasius in commentario de Ioanne Lydo, quo librum de magistratibus Laurentianum ab I. D. Fussio Parisiis 1812 editum ornavit p. LXXI sqq., Hasiumque secutus est Curtius Wachsmuth in praefatione Laurentiani libri de ostentis iterum editi p. IX sqq.: codex ille sub finem eius quod proxime antecessit saeculi e vico quodam Constantinopolitano in lucem reversus Lute-

tiam Parisiorum pervenit; membranaceus est folii minoris, saeculi noni vel decimi, Lydiana complexus olim tria opera de mensibus ostentis magistratibus. atque eius quidem partis, qua de mensibus agebat auctor, non plus duo adhuc supersunt folia, numeris hodie notata 99 et 100, vini autem madore adeo tincta, ut difficilior eorum sit lectio. ego, cum codicem illum Parisiis evolverem, simul adii C. B. Hasii schedas, qui primus haec folia publici iuris fecit in libri de ostentis editione (Par. 1823 p. 262 sqq.) cuiusque chartulae manu conscriptae et ipsae in bibliotheca Francogallorum Nationali adservantur, inter quas utriusque folii Caseolini apographum accuratissime confectum extat folio 154^r sqq. codicis suppl. gr. 859; quo auxilio adiutus paulatim atramenti ductus in codice O distinguere coepi, dum omnes litteras perscrutatus aut recte legisse Hasium aut, quo erat ingenii acumine, plerisque locis recte supplevisse intellegerem; miro enim casu factum est, ut plura dinoscere potuerim Hasio sub vini rubore, quo teguntur haec folia: quod ita explicandum esse puto, ut pallidior factus sit color ille aut cursu temporum aut auxiliis ab arte chymica petitis.[1] locus vero, quem in ipso Lydiano opere tenuerint quondam folia illa, verborum tenore satis aperte nobis indicatur, quo initium Novembris mensis in altero folio enarratur, Decembris in altero: editionis inserui haec fragmenta paginis 165, 17 — 168, 20 et 169, 22 — 173, 10. in edendis autem his reliquiis id consilium sum secutus, ut pro certis haberem eas litteras, quas aut ipse distinguere potuissem, aut quas praeter illas a se certe lectas esse affirmaret Hasius; supplementa vero, quibus hae opusculi partes maxime indigent, semper fere adhibui ea quae idem proposuit Hasius, nisi quo loco alia suaderet verborum conexus, vel id quod saepius accidit, Lydi verba in altero quoque codice servata essent.

Neque vero haec duo folia, quae ex ipso libro de

---

[1] Lyd. de ost. ed. Wachsmuth [2] p. X 4.

mensibus supersunt, sola, sed etiam nonnulla alia e codice Caseolino mutuatus sum. saepius enim usu venit, ut Lydus in eo, quem de magistratibus populi Romani conscripsit, libro expressis verbis lectorem releget ad librum de mensibus et ad res, quas in illo exposuerit. quae cum ita sint, omnes eius generis locos, qui quidem hodie non iam leguntur in opere *περὶ μηνῶν*, illi inserendos esse duxi, depromptos, ut res fert, e codice Caseolino, qui unus nobis servavit tractatum de magistratibus. duo autem extant horum locorum genera: aut enim de veterum Romanorum institutis et moribus agitur — tum tribuendos illos esse patet extremis libri primi partibus, quibus talia fusius exposita fuisse reliquis fragmentis demonstratur; aut alia quaedam tractatur materia — tum deficientibus indiciis cui loco hae tribuendae sint reliquiae dicere iam non possumus. qua re factum est, ut bis margini editionis adscribenda fuerit codicis O nota: p. 16, 16—17, 15, ubi fragmenta libri primi ex opere de magistratibus colliguntur, et p. 180, 10—16, ubi ex eodem opere in librum de mensibus transfertur fragmentum quoddam incertae sedis.

Quibus expeditis restat, ut quaeramus, quemnam locum in codicum Lydianorum serie teneat Caseolinus cuiusque pretii sit aestimandus. cuius quaestionis responsum iam occupavimus aliquatenus, cum illum integri codicis vestigia servasse diximus. neque tamen usque eo est integer, ut pro ipso omnium codicum archetypo haberi possit: quominus enim hoc statuamus, uno loco impedimur p. 168, 5 sqq., qui in epitoma quoque a Maximo Planude confecta (Y) extat et a codice Caseolino atque a recensione Planudea diverso modo sic traditur:

O	Y
<Πορφύ>ριος οὔ<τως> φ<ησ>ί· ‛ταύτῃ τοὺς φαινομένους οὐρανίου<ς θεοὺς τῇ	*ὅτι Πορφύριός φησι· ‛τοὺς φαινομένους οὐρανίους θεοὺς τῇ θυσίᾳ δεξιούμενοι*

O	Y
θυ>σίᾳ δεξιούμενοι καὶ πῦρ ἄσβεστον αὐ<τοῖς ἀνα>φέροντες ὡς ὂν αὐτο<ῖς ὁ>μοιότατον.'	*καὶ διὰ τοῦ πυρὸς αὐτοῖς ἀπαθανατίζοντες τὰς τιμὰς καὶ πῦρ ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐφύλαττον αὐτοῖς ἀθάνατον, ὡς ὂν μάλιστα αὐτοῖς ὁμοιότατον.'*

sunt autem Porphyrii verba de abst. II, 5: *ταύτῃ τοὺς φαινομένους οὐρανίους θεοὺς τῇ θυσίᾳ δεξιούμενοι καὶ τοῦ πυρὸς ἀπαθανατίζοντες αὐτοῖς τὰς τιμάς. τούτοις γὰρ καὶ τὸ πῦρ ἀθάνατον φυλάττομεν ἐν τοῖς ἱεροῖς, ὡς ὂν μάλιστα αὐτοῖς ὁμοιότατον*, e quibus apparet, vere Porphyriana esse ea, quae leguntur in Y et desunt in O: iam vero sequitur — nisi forte sumere mavis, a Maximo Planude ipsum Porphyrium adhibitum esse ad supplenda ea, quae in codicibus Laurentii legebantur: quam coniecturam ut nimis tortuosam parumque probabilem prorsus aspernor — ipsum Lydianum codicem, quem inspexit Planudes, pleniorem fuisse quam nunc sunt codicis O reliquiae. quin etiam hoc luce est clarius, non temere omisisse sed consulto in brevius contraxisse[1] et nonnulla de suo addidisse eum qui codicem O conscripsit librarium vel eius auctorem, quippe qui pro *πῦρ ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐφύλαττον αὐτοῖς ἀθάνατον* posuerit *πῦρ ἄσβεστον αὐτοῖς ἀναφέροντες.* quae cum perspexerimus, hoc semper nobiscum reputemus necesse est, evenire potuisse non solum libro de mensibus, sed etiam operibus de ostentis et de magistratibus, quatenus ab eodem codice O traduntur, ut non integra Laurentii verba reciperent, sed aliquantum decurtata et interpolata: id quod, ut exemplo quoque rem illustrem, accidisse mihi videtur in prooemio libri de magistratibus (= de mens. 16, 16 sqq.), quod brevius est neque cum reliquis ita cohaeret, ut praefationi, quae vera sit praefatio, convenit.

[1] quod p. 167, 21 et 26 bis omittitur copula *καὶ*, per codicem Scorialensem servata, a Caseolino minoris momenti esse duxerim.

Quodsi iam concessimus, non prorsus integrum esse codicem O, attamen integerrimus et vetustissimus est codicum Lydianorum manu scriptorum, quotquot aetatem tulerunt. scriptus est satis diligenter, neque tamen ita, ut careat itacismi quem vocant vitiis et exemplis confusarum inter se litterarum β et υ, ε et αι, ο et ω et permutatorum casuum, genetivi cum accusativo, accusativi cum nominativo.[1] quare, ubi talia nobis occurrunt menda, facile sananda erit codicis lectio; in ceteris autem, nisi quo alio codice Caseolinum errasse aperte demonstratur, coniecturis abstinebimus.

cod. R Neque vero difficile est intellectu, quomodo factum sit, ut e nullo codice integro plura supersint. ut enim liber de mensibus Lydianus continebat immensam quidem, sed haud bene iunctam collectionem rerum variarum, quibus omnium lectorum animi aequo modo teneri minime poterant, iam tempore satis remoto excerpi coeptus est atque primum quidem ea ratione, ut singula capita ob variam et multiplicem doctrinam transferrentur in collectiones quas vocamus encyclopaedicas, quales inde a saeculo nono plures Byzantii sunt confectae; reminiscamur tantum eius, quae sui temporis erat clarissima, epitomae Constantini Porphyrogennetae. excerptorum autem eius generis Lydianorum praestantissimum exemplar est codex Parisinus supplementi graeci 607 A, in editione R appellatus, quem integrum edidit Max. Treu in programmate Ohlaviensi anni 1880 (Excerpta anonymi Byzantini e cod. Par. suppl. gr. 607 A) et descripsit huius programmatis p. 57: membranaceus est saeculi decimi, e Graecia a Minoide Myna allatus; continet excerpta, historica pleraque et geographica, qualia tum Byzantinorum studia movebant. quo in codice quoniam auctorum nomina, e quibus singulae partes sint petitae, non afferuntur, primum inquiramus necesse est, quibusnam auctoribus debeantur res ibi commemoratae, quaeve exscriptae sint ex eo, quem unice cu-

[1] v. Hasii commentarium p. LXXII sq.

ramus, Laurentiano libro de mensibus. ad hanc autem disquisitionem instituendam sex quidem totius codicis capita distinguenda mihi videntur esse:

1. Treu p. 3,1—9,13. *περὶ Ἀδιαβηνῆς, Αὐγουστείου, ἀτραβατικῶν, ἀγαλμάτων, Αὐγούστου μηνός, Αὐγούστου εὐτυχίας, ἀγάλματος ἐν πέτρᾳ, ἀνδρείας, ἄλλο περὶ Γετῶν.*
2. p. 9,14—21,24. *περὶ στηλῶν.*
3. p. 21,25—25,24. *ἀρχὴ τοῦ $\bar{\beta}$ στοιχείου. περὶ Βρεταννίας, Βεσβίου, Βριττίας.*
4. p. 25,25—38,21. *περὶ οἰωνοσκοπίας τῶν Οὐάρνων.* secuntur alia de auguriis deque divinatione ex ostentis haurienda.
5. p. 38,22—47,33. *περὶ βρουμαλίων, βισέξτου, γενέσεως ἀνθρώπου, ποσότητος τῶν τικτομένων, Ἴστρου τοῦ ποταμοῦ, πιπέρεως, ἡλίου καὶ σελήνης, σεισμῶν, σκηπτῶν, πυρόεντος κεραυνοῦ.*
6. p. 48,1 ad finem (p. 56,19). scholia varia in Dionysium periegetam et Aratum, imprimis geographica et *περὶ τῶν οὐρανίων.*

Iam vero ex hac capitum distributione apparet, quodnam consilium ignotus ille auctor secutus sit, cum codicem nostrum vel eius archetypum conscriberet: hoc enim habebat in animo, ut glossarium conficeret universae scientiae, secundum singulas litteras digestum, id quod demonstratur primi capitis titulis, qui ad unum omnes a littera $\bar{\alpha}$ incipiunt, et tertio capite, cuius initio adscriptum est *ἀρχὴ τοῦ $\bar{\beta}$ στοιχείου*, itemque monere liceat, p. 46,25 prima tractatus *περὶ πυρόεντος κεραυνοῦ* verba esse *προέφθημεν εἰς τὸ $\bar{\sigma}$ στοιχεῖον εἰπόντες περὶ σκηπτῶν.* neque tamen materiam institutam ad finem perduxit auctor, sed cum vidisset, non fore, ut opus quod coeperat absolveret, ea quae collecta habebat in unum conscripsit codicem, dis-

positione non iam secundum singulas litteras facta, immo ut res ferebat ita instituta, ut singuli se subsequerentur tractatus aut eodem ordine, quo in eo auctore quem exscripsit librarius, extiterant, aut disponerentur secundum ea, quae tractabant argumenta. atque argumenti quidem similitudine factum esse putaverim, ut post litteram ᾱ, cuius potiore parte ageretur *περὶ ἀγαλμάτων*, poneretur tractatus *περὶ στηλῶν*. neque vero cum eo, h. e. cum altero codicis R capite, Laurentio quidquam est: illud enim oriundum esse e libro quem vocant *Παραστάσεις συντόμους χρονικάς* luculenter demonstravit Theodorus Preger in programmate gymnasii Maximilianei Monacensis a. 1895 p. 28 sqq. (Beiträge zur Textgeschichte der *Πάτρια Κωνσταντινουπόλεως*). ex uno autem eodemque auctore deducta sunt, quae in capite sexto codicis R leguntur, quod a librario e scholiis ad Dionysii Periegetae et Arati opera adscriptis consutum esse statim vidit M. Treu, quare illud quoque, utpote quod ad Laurentium non pertineat, neglegere possumus.

Accedamus iam ad quartum quod distinxi caput, quod a titulo *περὶ οἰωνοσκοπίας τῶν Οὐάρνων* incipere iussi. quamquam enim in Varnorum mores incidit auctor iam in ea quae praecedit paragrapho *περὶ Βριττίας νήσου*, tamen argumenti similitudine docemur, Varnorum auguria ad sequentia potius trahenda esse, in quibus ea quae tractatur materia sibi constat: agitur scilicet de divinatione, quomodo fiat apud singulos populos, et de ostentis, quanam vi fuerint in fatis imperatorum et magnorum regnorum conditoribus. arte autem inter se coniunctas esse singulas partes demonstratur his locis: p. 26, 3 *κατὰ τὸ μάντευμα . . τετελευτήκει.* — p. 26, 5 *περὶ Κάλχαντος τοῦ παρ' Ὁμήρῳ. μνησθήσομαι δὲ καὶ ἑτέρου μαντεύματος.* — p. 28, 4 *περὶ σημείου καὶ τέρατος* (explanatur Calchantis augurium). — p. 28, 11 *μνησθήσομαι δὲ ἔτι τοῦ ἐν τῷ πέμπτῳ λόγῳ Προκοπίου μαντεύματος.* — p. 29, 1 *τοῦ αὐτοῦ λόγου περὶ παρατηρήσεως εἰκόνος* (ostentum quoddam). — p. 29, 14 *περὶ Γαΐου Ἰουλίου Καίσαρος. ὅμοιον κτλ.* (simile ostentum). secuntur ea

quae Caesari Augusto Tiberio Neroni Vespasiano Domitiano aliis evenerunt usque ad p. 32, 28: *καὶ εἶπον ἂν ἄλλα . . . ἀλλὰ . . Κύρου μνησθήσομαι καὶ Ῥωμύλου.* — p. 33, 1 *περὶ Κύρου* — p. 36, 10 *περὶ Ῥώμου καὶ Ῥωμύλου.* — p. 37, 30 *περὶ Ἀράβων μαντείας* eiusdem fere argumenti est cuius paragraphus de Varnorum auguriis.

Iam vero oritur quaestio, quisnam huius capitis (p. 25, 25 — p. 38, 21) auctor fuerit: sed hoc nobis inopia argumentorum coactis in medio relinquendum esse puto, nam ne eam quidem, quae proxima est coniectura, compositum illud esse ab ipso codicis nostri librario, deficientibus argumentis aut probare aut refutare possumus. at si de fontibus quaeritur, e quibus hausta sint ea, quae in codice R proferuntur de ostentorum vi atque natura, statim incidimus in suspicionem, fuisse inter illos Ioannem Laurentium[1] eiusque librum de ostentis initio hodie mutilum: huic enim optime convenit distinctio illa inter *σημεῖα* et *τέρατα* facta (Treu p. 28, 4; cf. Lyd. de ost. p. 3, 5 ed. Wachsm.), neque abhorret ab hac coniectura vel scribendi ratio vel delectus auctorum adhibitorum, quorum recentissimus et Procopius, quem septem priores *Ἱστορικοῦ* libros anno 550 vel 551 publici iuris fecisse scimus[2] cuiusque notitiam certe habuit Laurentius, qui inde ab anno 552 litteris se dedit.[3] sed utut haec se habent, hoc affirmare licebit, auctorem codicis R, si omnino opus Lydianum adiit ad hoc caput conscribendum, inspexisse librum de ostentis, non vero de mensibus.

Sed iam transeamus ad capita primum et tertium codicis Parisini, quorum paragraphos secundum litteras, a quibus incipiunt tituli, dispositas esse diximus. atque tertium quidem caput tribus componitur paragraphis, quarum quae inscribitur *περὶ Βρεττανίας* e Cassio Dione petita est, reliquae duae Procopio debentur[4], nullo ut

---

[1] cf. Wochenschr. f. class. Phil. 1898 p. 342.
[2] Krumbacher Gesch. d. byz. Litt.[2] p. 231.
[3] Hasius comm. p. VIII.
[4] Treu p. 58.

videtur auctore intermedio, ita ut neglegere eas hanc ob causam nostro iure possimus. tamen id nos tenere oportet, quod ex huius capitis compositione discere licet, non uno tantum auctore contentum fuisse in colligenda materia librarium nostrum, immo plures interdum ab illo adhibitos esse, ut unum compleretur opusculi caput. haec ubi monuimus, primum quoque inspiciamus caput, cuius quae leguntur apud Treuium (p. 3, 1—9, 13 *λύμῃ τὴν*) tradita sunt etiam in Lipsiensi codice quodam, quem primus edidit Tischendorfius in Anecdotis sacris et profanis, Lipsiae 1855 (ed. alt. 1861) p. 58: quo factum est, ut plures iam disseruerint de his fragmentis viri docti. atque Tischendorfius ipse omnia illa referre voluit ad Ioannis Lydi libros diversos, quam sententiam non solum probabilem, sed paene necessariam esse dixit L. Traube, Varia libamenta critica p. 28, impugnavit I. F. Schultzius Quaestionum Lydianarum particula priore p. 5. hic enim fragmentis Tischendorfianis alios aliorum auctorum locos admixtos esse suspicatus est. et ego quidem magis Schultzii opinioni accedo. nam si nobis proponitur quaestio, utrum omnia haec fragmenta ad librum de mensibus pertinere putemus necne, res nobis agenda est difficillima diiudicatu, quoniam altera ex parte adeo varia est materia librorum Lydianorum, ut inde si concludere vellemus, re vera omnia haec fragmenta illis attribuere possemus neque ullum esset quod refragaretur aliorum temporum aliorumve auctorum indicium; sed altera ex parte modo didicimus, aliis locis plures uno auctores exscriptos esse a librario codicis R: quare quam cautissimos nos esse debere censeo in illarum reliquiarum distributione. quamobrem non omnia huius capitis fragmenta in editionem recepi, sed tria eorum genera distinguenda esse duxi haec:

I. locos, quorum omnino nec vola nec vestigium apparet in Lydiano libro de mensibus, quosque eam ob causam ex illo depromptos esse nullo modo demonstrari potest. sunt autem hi: Treu p. 3, 1 *περὶ Ἀδιαβηνῆς* (libro de ostentis tribuit Traube l. c.). — p. 5, 1 *περὶ*

ἀγάλματος τοῦ ἐν τῷ Αὐγουστείῳ. — p. 6, 28 *περὶ ἀγάλματος τῆς Εὐγνωμοσύνης.* — p. 7, 1 *περὶ ἀγάλματος Πριάπου.* — p. 7, 17 *περὶ ἀγάλματος ἔχοντος ἐν τῇ κεφαλῇ κέρατα.* — p. 8, 20 *περὶ ἀγάλματος ἐν πέτρᾳ τῆς Ἀραβίας.* — p. 8, 28 *περὶ ἀνδρείας.* — p. 9, 10 *ἄλλο περὶ Γετῶν.*

II. locos, qui nexu aliquo iunguntur cum quibusdam libri de mensibus paragraphis, quosque olim in illo extitisse etsi probabile est, attamen non ita constat, ut in editionem potuerint recipi: p. 4, 3 *περὶ ἀτραβατικῶν* = de mens. p. 12, 2 (cf. de mag. I, 17, qui locus ad primum de mensibus librum, qualis olim fuit, videtur spectare). — p. 4, 20 *περὶ ἀγάλματος κρατοῦντος δόρυ* = de mens. p. 80, 12. — p. 5, 15 *περὶ ἀγάλματος ἔχοντος ψαλῖδα χαλκῆν* = de mens. p. 84, 3. — p. 6, 8 *περὶ ἀγάλματος τοῦ Διός* = de mens. p. 124, 5. — p. 7, 13 *περὶ ἀγάλματος τῆς Γῆς* = de mens. p. 139, 7. — p. 7, 26 *περὶ ἀγάλματος τοῦ Ἑρμοῦ* = de mens. p. 132, 10. — p. 8, 12 *περὶ Αὐγούστου* (l. *Καίσαρος*) *εὐτυχίας* = de mens. p. 143, 10 (*ἄπειρος χειμών* ed., *μέγας κλυδών* R).

III. locos, qui cum fragmentis quibusdam iamdudum Laurentiano libro de mensibus tributis ita consentiunt, ut ex illo desumptos eos esse appareat: p. 3, 18 *περὶ Αὐγουστείου* = de mens. p. 163, 3. — p. 4, 12 *περὶ ἀγάλματος Ἰανουαρίου* = de mens. p. 64, 6. — p. 4, 28 *περὶ ἀγάλματος κρατοῦντος κιθάραν* = de mens. p. 107, 17. — p. 5, 20 *περὶ ἀγάλματος βαστάζοντος πύργους* = de mens. p. 114, 6. — p. 5,24 *περὶ ἀγάλματος κτένα φέροντος* = de mens. p. 116, 20. — p. 6, 4 *περὶ ἀγάλματος τοῦ Ἡρακλέους* = de mens. p. 120, 14. — p. 6, 18 *περὶ ἀγάλματος πτερωτοῦ τοῦ Ἑρμοῦ* = de mens. p. 129, 15. — p. 8, 3 *περὶ Αὐγούστου μηνός* = de mens. p. 150, 4.

Sed huius tertii quoque locorum generis partes inter se differunt: aut enim consentiunt ita cum reliquis Lydianorum codicum recensionibus, ut ipsa Laurentii verba, pleniora interdum, servata esse per codicem R appareat, aut ab illis dissentiunt pluribus, ut a librario videantur omittendo et addendo immutata. quo factum est, ut locos illos

aut in ipsum verborum contextum reciperem (p. 64, 6. 129, 16. 163, 3) aut in apparatum editioni subornatum relegarem (p. 107, 17. 116, 20. 120, 14), aut denique, ubi editionis et codicis Parisini consensus levissimus tantum esset, huic praefationis loco reservarem, quia breviter eos commemorasse satis haberem (p. 114, 6. 150, 4).

Neque vero disquisitionem de codice R instituendam ad finem perduximus, immo quintum illud restat caput (p. 38, 22—47, 33) eiusque paragraphi quibus inscribitur: 1 *περὶ βρουμαλίων*, 2 *περὶ βισέξτου*, 3 *περὶ γενέσεως ἀνθρώπου*, 4 *περὶ ποσότητος τῶν τικτομένων*, 5 *περὶ Ἴστρου τοῦ ποταμοῦ*, 6 *περὶ πιπέρεως*, 7 *περὶ ἡλίου καὶ σελήνης*, 8 *περὶ σεισμῶν*, 9 *περὶ σκηπτῶν*, 10 *περὶ πυρόεντος κεραυνοῦ*. quarum paragraphorum octavam et decimam statim referre possumus ad Laurentii librum de ostentis (cf. Wachsmuthii editionem alteram p. XLII, cap. 53. 54 et 44. 45); quin etiam nona quoque paragraphus quoniam ad verbum fere consentit cum eo fragmento, quod in prioribus editionibus libri *περὶ μηνῶν* bis imprimebatur III, 52 et IV, 96 (qua de re dixi Byz. Ztsch. V, p. 412) eodem pertinet; sed eo, quod hanc paragraphum inter fragmenta quondam libro de mensibus tributa recepi, factum est, ut R codicis nota appareat etiam in margine p. 181, 6.

Reliquorum vero excerptorum fere omnium tenore statim demonstratur, librarium ea mutuatum esse e libro de mensibus. exscripta enim est § 2 *περὶ βισέξτου* ex editionis libri III § 10, ita ut R sit inter codices, quos p. 49, 21 app. indicavi. § 3 *περὶ γενέσεως ἀνθρώπου* est IV, 26: hoc loco Lydi verba usque eo integra servata mihi videbantur, ut nonnulla e codice R transferrem in editionem (p. 85, 1), cum altera ex parte ut interpolata omitterem ea, quae sunt de plantis *ἀρρενογόνοις καὶ θηλυγόνοις*.[1] § 4 *περὶ ποσότητος τῶν τικτομένων* consentit

[1] idem fecit Krumbacher, Sitz. Ber. der Münch. Akad. 1892 p. 347.

cum IV, 89 inde a p. 137, 5, ubi inter codices in margine notatos R omitti non debuit. § 6 = IV, 14 p. 77, 9: cuius extrema cum a codicibus recensionis X tradantur ut vere Lydiana, cumque ex uno eodemque auctore exscriptam esse totam codicis R paragraphum pateat, non est dubium, quin initium quoque Laurentio attribuendum integrumque in editionem sit recipiendum. § 7 *περὶ ἡλίου* denique exscripta est e III, 12, ubi codicis R lectionem in apparatu addidi (p. 53). neque vero alienam a libro de mensibus putaverim § 1 *περὶ βρουμαλίων*: nam et de his Laurentio dicendum erat, cum describeret Decembris mensis dies festos, et dicendi genus, quod in hoc excerpto observatur, cum Lydiano prorsus congruere statim cognoveris. accedit autem, quod aperto nexu coniungitur haec paragraphus cum Laurentii fragmentis, quae ad Novembrem et Decembrem menses spectant: verba enim huius excerpti *ἀργοῦντες οὖν τὸ τηνικάδε οἱ Ῥωμαῖοι* eqs. referri patet ad p. 168, 21 *ἀπὸ δὲ τῆς πεντεκαιδεκάτης τοῦ Νοεμβρίου μέχρις ὅλου τοῦ Δεκεμβρίου ἤργουν οἱ Ῥωμαῖοι* etc., et id quod in fine commemoratur *ὁ Κρόνος ὡς ταρταρωθεὶς ὑπὸ τοῦ Διός*, fusius explicatur in subsequenti editionis paragrapho IV, 159. quae cum ita essent, tribuere hoc *περὶ βρουμαλίων* fragmentum Lydo non dubitavi,[1] in editionem recepi ut esset libri quarti § 158, p. 173, 18 sqq.

Cumque adhuc omnia, quotquot sunt capitis quinti in codice R excerpta, ad Lydum rettulerimus, proximum est, ut id quod solum restat *περὶ Ἴστρου τοῦ ποταμοῦ* eidem auctori vindicemus. sed quominus id faciamus uno momento eoque affatim gravi impedimur. commemoratur enim in hoc tractatu Nilus fluvius eiusque exundationis causa, qua de re et ipse Laurentius amplior est in libro de mensibus IV § 107; ibi eam mense Iulio fieri dicit auctor, qui enumeratis plurimorum virorum doctorum

---

[1] Consentire me hac in re video cum Francisco Cumont, Rev. de philol. XXI 1897 p. 149 n. 1.

sententiis de causa exundationis, qualis sit, desperat: *ποικίλαι μὲν οὖν αἱ περὶ αὐτοῦ δόξαι, τὸ δ' ἀληθὲς κατὰ τοὺς ἀνθρώπους τέως οὐδαμοῦ* (p. 147, 3). Parisini vero codicis auctor Augusto mense adscriptam exundationem secundum Hebraeorum sacram scripturam explicat additis verbis p. 43, 20 Treu: *τοῖς δὲ τὰ τῆς γραφῆς ἀσκοῦσιν οὐδεμίαν τίκτει ἀμφιβολίαν . . . οἱ γὰρ μὴ ταῦτα περὶ αὐτοῦ δοξάζοντες εἰς μυρίας ἐμπίπτοντες ἀπορίας μένουσιν ἕως τέλους τῆς ἀληθείας ἀποπλανώμενοι*, quae ab iis, quae modo attulimus Lydi verbis toto caelo diversa sunt. attamen huius quoque codicis R paragraphi particula quaedam Laurentio debetur. consentiunt enim ea quae exhibentur ab illo p. 43, 2 *οὗτος ὁ Ἴστρος* — 43, 11 *Δανούβιος μετακληθεὶς* cum iis, quae exponuntur a Laurentio de mag. III, 32, quaeque a se narrari confitetur auctor secundum *Σαμω⟨νι⟩κὸν τὸν Ῥωμαῖον ἱστορικόν, ὃς πρὸς Διοκλητιανὸν καὶ Γαλέριον τὸν γέροντα περὶ ποικίλων ζητημάτων διελέχθη.*[1] iam vero si quaerimus, utrum Laurentium an ipsum Sammonicum adierit librarius codicis Parisini, ego quidem hunc, quali eum ingenio fuisse patet, non Sammonicum inspexisse sumam, rarissimae notae auctorem, sed Lydianum librum de magistratibus, ut ei erat Laurentius familiarissimus. quae si conceduntur, alio e fonte manasse ea, quae desumpta sunt e sacra scriptura, apparet; iterumque videmus, cautiores nos esse debere in vindicandis reliquiis, quae a codice R servantur, quippe qui praeter Laurentium alios quoque adhibuerit auctores: hanc quidem paragraphum e libro de mensibus petitam non esse pro demonstrato iam habeo.[2]

Iam finita disquisitione de Lydiano libro de mensibus eiusque epitomatore Parisino brevi conspectu illustrare liceat, quasnam codicis R partes ex illo derivatas esse constet, et ubi eas in editione possis reperire. sunt autem hae:

---

[1] Teuffel-Schwabe röm. Litt. Gesch. § 374, 4.

[2] ea quae finem huius paragraphi faciunt p. 44, 10—21 Laurentio certo nec tribuere audeo neque abiudicare.

R p. 3, 18 Treu: *περὶ Αὐγουστείου* = editionis p. 163,3.
p. 4, 12 *περὶ ἀγάλματος Ἰανουαρίου* cf. p. 64, 4.
p. 4, 28 *περὶ ἀγάλματος κρατοῦντος κιθάραν* p. 107,17 app.
p. 5, 20 *περὶ ἀγάλματος βαστάζοντος πύργους* cf. p. 114,6.
p. 5, 24 *περὶ ἀγάλματος κτένα φέροντος* p. 116, 20 app.
p. 6, 4 *περὶ ἀγάλματος τοῦ Ἡρακλέους* p. 120, 14 app.
p. 6, 18 *περὶ ἀγάλματος πτερωτοῦ τοῦ Ἑρμοῦ* p. 129, 15 et app.
p. 8, 3 *περὶ Αὐγούστου μηνός* cf. p. 150, 4.
p. 38, 22 *περὶ βρουμαλίων* p. 173, 18.
p. 39, 19 *περὶ βισέξτου* p. 49, 21 app.
p. 41, 1 *περὶ γενέσεως ἀνθρώπου* p. 85, 1.
p. 41, 24 *περὶ ποσότητος τῶν τικτομένων* p. 137, 5.
p. 44, 22 *περὶ πιπέρεως* p. 77, 9.
p. 45, 3 *περὶ ἡλίου καὶ σελήνης* p. 53 app.
p. 46, 10 *περὶ σκηπτῶν* p. 181, 6.

Codicem R ipse Parisiis inspexi et plurimis locis cum Max. Treu consentio; tractatum *περὶ Βρουμαλίων* contulit Franciscus Cumont et benigne mecum communicavit lectiones aliquas a Treuiana editione discrepantes (p. 174, 22 *καὶ ὄνομα* Treu, *κατ' ὄνομα* Cumont; 24 *κρονίας αὐτάς* Treu, *κρονίας ἑορτὰς αὐτάς* Cumont; 29 *αὐτόν* Treu, *αὐτά* Cumont), quas in editionem recipere non dubitavi. ceterum addere liceat, codicem optime scriptum esse, ita ut praeter scribendi rationem interdum neglectam nihil fere sit corrigendum.

Supra monuimus, prima illa codicis R capita in Lipsiensi quoque codice Tischendorfiano servata esse. qui secundum ipsius Tischendorfii descriptionem (Anecd. p. 58) constat e 17 foliis membranaceis, quattuor diversorum codicum (A — E) reliquiis; nostra vero solius codicis A interest, folia septem saeculo decimo scripta continentis. huius codicis lectiones cum consideramus, statim videmus, eum codicis R adeo esse similem, ut uni eidemque archetypo uterque vindicandus sit, id quod imprimis corruptelarum consensu probatur, e. g. p. 4, 10 Treu pro *χλαμύδες* legitur in R *μύδες*, quod idem in Tischendorfiano

Apographa codicis R similia.

occurrit, p. 4,17 uterque vocem *ψήφους* omittit, qua omissa claudicat sententia. neque tamen aut R e Tischendorfiano aut ille ex hoc est exscriptus: proprias enim uterque servavit lectiones, ubi contaminatus alter est, alter integer; exempli causa proferam Tischendorfianum interpolatum his locis: p. 3,20 *Αὐγουστείῳ* (*Γουστείῳ* R), p. 6,14 *σκέπτεται* (*σκέπεται* R). at veram servavit lectionem his locis, quibus corruptus est R: p. 3,22 *ἄσκεπον* (*ἄσκεπτον* R), p. 5,13 *στῆτε Πέρσαι* (*Πέρσαι* omis. R). adsignemus igitur R et Tischendorfianum uni eidemque archetypo,[1] quod tamen cum ipsis Laurentii codicibus non semper congruisse demonstratur eo, quod p. 4,17 omittitur vox *ψήφους*, in codicum X recensione servata (p. 64,3). in editione, ne oneratam satis plurimorum codicum siglis et lectionibus plus iusto gravarem, neque codicis Tischendorfiani neque illius archetypi notas recepi; in codicum stemmate infra exarato archetypum asterisco notavi, quod omnium deperditorum codicum signum esse volui.

Suidas. *Πάτρια.* Praeter hos autem duos codices alii quoque superstites sunt testes eorum, quae in primo secundoque codicis R capitibus narrantur: Suidam dico et auctorem *Πατρίων Κωνσταντινουπόλεως*. ac de nexu, qui inter hos et Laurentii codices modo laudatos intercedit, scripserunt complures viri docti, scilicet Schultze quaest. Lyd. p. 5, Traube Libam. crit. p. 28, Preger programmatis modo allati p. 28 sqq., sed quoniam nec Suidae nec *Πατρίων* verba ulli usui sunt Laurentii librum restituere conantibus, rem actam agere non libet; hoc tantum moneam, utrumque auctorem adiisse codices nostrorum quidem similes, sed non eosdem; alio ex fonte hausta esse ea, quibus ab R et Tischendorfiano discrepant Suidas et *Πάτρια*; propius ad Laurentium accedere Suidam, longius ab eo distare *Πάτρια*.

Suidas. Cumque hoc loco inciderimus in Suidae lexicographi

[1] intercessisse talem codicem inter Lydum et Tischendorfianum dixit Traubius quoque, Libam. crit. p. 29.

mentionem, statim proferamus, quae de eo sunt dicenda. nam praeter ea, quae intercedente codice aliquo apographorum R et Tischendorfiani persimili ad illum pervenerunt, unum tantum Suidae excerptum ad Laurentianum librum de mensibus videtur redire. describit enim hic s. v. *Μαϊουμᾶς* tres veteris anni ferias: Maiumam, panegyridem *βρυτῶν* ab Anastasio imperatore sublatam, canes a Romanis Augusto mense necatos. quoniam autem his duabus feriis nihil cum Maiuma est, ut Suidae verba explicemus, sumamus necesse est, eas iam in eo, quem inspexit ille, auctore coniunctas fuisse. et ab hoc quidem auctore adhibitum esse Lydi opusculum de mensibus demonstratur eo, quod ratio enarrandae caedis canum consentit cum iis, quae apud Laurentium p. 152, 22 leguntur. quamobrem Lydo ea quoque tribuenda esse duxi, quae de Maiumae feriis narrantur: occurrit enim Maiumae nomen p. 133, 2, ubi quid sibi velint feriae illae non iam legebatur; nunc lacunam e Suida recte suppletam esse spero. neque veri est dissimile, illa, quae de Brytorum feriis ab Anastasio imperatore (491—518)[1] sublatis agunt, et ipsa Laurentio esse tribuenda, cum vero nullus hodie extaret locus libri Laurentiani, ubi talia excidisse pateret, rectius illa omittenda esse duxi: dicat enim fortasse quispiam, ea ab ignoto illo auctore, qui inter Lydum et Suidam intercessit, addita esse.

Singuli tractatus e Lydo deprompti.

Sed non solum eae, quae primum quod distinximus caput codicis R componunt paragraphi, in compluribus codicibus medii aevi servatae nobis sunt, verum etiam haud pauca eorum, quibus quintum caput conficitur, fragmentorum e libro de mensibus depromptorum in nonnullis codicibus nondum nominatis exarata sunt. plerumque autem his reliquiis ex integro Laurentiani operis contextu solutis et iam sine auctoris nomine circumlatis ita usi sunt librarii, ut ubicumque opere iam absoluto duo vel

---

[1] Gelzer apud Krumbacherum Gesch. d. byzantin. Litt. [2] p. 925.

tria in codice folia restabant scripturae ductibus vacantia, explerent illa Laurentii compendiosa doctrina; ita fit, ut in ultimis fere semper codicum foliis talia Lydiani libri vestigia reperiantur. neque tamen ad restituendum ipsum librum cuiusquam momenti sunt: ut enim res fert, librarii animis magis intentis ut codicis folia complerent, quam ut Lydiana verba ad archetypi fidem exprimerent, saepissime suo Marte mutaverunt quae tradebantur, ut spatio, quod explendum sibi proposuerant, magis convenirent. quare, quod nihilo setius hoc loco de nonnullis horum codicum dicturus sum, id non tam auctoris gratia sum facturus quam codicum, ut tandem desinant excerpta illa anonyma esse aut pseudonyma, neve iam quis ea perscrutando oleum et operam perdat. inspexi autem ipse talium codicum hos sex:

1. Parisinus graecus 1346 membranaceus s. XI fol. 276, miscellanea Byzantinorum scripta continens; cuius codicis ultima quidem folia (275. 276) dissertationibus completa sunt ex Herodiano et Gregorio Nazianzeno petitis, Lydiana vero in iis quae praecedunt (f. 273. 274) leguntur fragmenta ea, quae e codice R p. 39,19—44,21 Treu novimus: quorum initio exhibetur tractatus *περὶ βισέξτου* ad verbum fere cum codice R congruens, nisi quod in fine post *τοῦ ἡλίου* (p. 40,31 Treu) adduntur: *οἱ δὲ ἀρχαῖοι αἰτίαν ἔσχον τῆς ἑορτῆς τῆς νεομηνίας ἐκ φυσικῶν παρατηρήσεων. φασὶ γὰρ τοὺς μύρμηκας σχολάζειν τῇ νεομηνίᾳ καὶ τὰς ἴβεις μὴ ὁρᾶν* (= Lyd. de mens. p. 51,10 sqq.) usque ad *τοῦ φωτὸς αὐτῆς* (p. 52,6). secuntur deinde ea, quibus inscribitur de generatione hominis, cum *τὰ περὶ ποσότητος τῶν τικτομένων* omittantur; tum incipit tractatus *ὅτι ὁ ἴστρος ὁ ποταμός*, cui subnectuntur nonnulla de Octaviano Augusto, qui Septembrem mensem initium indictionis fecerit et Sextili suum nomen indiderit, eiusdem fere tenoris, cuius ea quae narrantur R p. 8, 3—11 Treu, paulo tantum discrepante enuntiatorum ordine. cuius codicis lectiones si contuleris cum R verbis, adeo illorum similes invenies, ut utrumque apographum uni eidemque

codicum stirpi necessario tribuas. neque tamen R e Parisino fluxit, quippe qui illa *περὶ ποσότητος τῶν τικτομένων* omiserit, neque Parisinus ex R, qui formicarum otium ignoret. quae cum ita sint, Parisinum ex eodem archetypo deductum esse apparet, e quo illud, cuius R Tischendorfianus reliqui eiusdem generis sunt apographa. hoc autem archetypum non ipsum Laurentium fuisse autumabimus, sed collectionem e plurimis epitomis consutam, id quod ordine paragraphorum a libro de mensibus diverso demonstratur et inserta disquisitione de Danubio, cui alterius cuiusdam auctoris doctrinam inesse supra diximus. fusius autem de hoc Parisino codice disserui, quoniam exemplar praestantissimum est singularis cuiusdam traditionis Lydianae, ad quam recensionem plurimi pertinent codices, qui omnes eosdem tractatus eodem exhibent ordine, quo Parisinus ille; quorum quam arta inter se cognatio sit inquirere supersedi: neque certi quidquam de ea poterimus affirmare, tot codicibus qui quondam inter eos, qui hodie extant, intercesserunt, cursu temporum deperditis. sed iam ad reliquos eiusdem generis codices transeamus.

2. Vaticanus Palatinus graecus 13, quem scriptum esse anno p. Chr. n. 1167 a Georgio Cammareno regnante Byzantii Manuele Comneno docet subscriptio f. 348^{v}. eadem quae a Par. gr. 1346 ultimis huius codicis foliis (347. 348) traduntur lectionibus vix discrepantibus.

3. Vaticanus graecus 854 s. XII eadem exhibet f. 265^{r} sqq.

4. Vaticanus graecus 855 s. XV in fine mutilus consentit, quatenus integer est (usque ad *καὶ θηλύ* p. 41, 13 Treu), ita cum codice Palatino 13, ut ex eo videatur esse exscriptus; id quod iam monuit C. Krumbacher (Sitz. Ber. der Münch. Akad. 1892 p. 344).

5. Parisinus graecus 1310 chartaceus s. XV f. 444, continet inde a folio 442^{r} — ut inventarii verbis utar —: ‘Anonymi opusculum de quattuor paradisi terrestris

fluminibus, inc. ὁ ἴστρος ὁ ποταμός f. 442^{r}. anonymi fragmentum de bisexto (τὸ τοῦ βισέξτου) f. 443^{r}. anonymi tractatum de generatione et corruptione hominis (τὸ σπέρμα ἐν τῇ μήτρᾳ) f. 443^{v}. Aristotelis et Galeni fragmenta de metallis, quae reperiuntur in Cypro insula, f. 444^{r}' unde apparet, mutatum esse in hoc codice ordinem fragmentorum a reliquis servatum et omissa ea quae de Octaviano Augusto narrantur; ceterum tamen prorsus cum iis quos modo enumeravimus codicibus consentit.

6. Parisinus graecus 1766 chartaceus s. XVII f. 434 eadem continet quae Par. gr. 1310, e quo exscriptus est.

Atque haec iam sufficiant, quamvis infitias non eam, eiusdem generis praeter hos plurimos extare in bibliothecis codices, quorum praecipue ii in censum sunt vocandi, quos Krumbacher attulit l. s.; illis etiam Laurentianus plut. IV 10 s. XI addendus est, de quo accuratius nuper rettulit Rostagno, Studi ital. di filol. V p. 100, qui inde a f. 300^{r} exhibet tractatus de bisexto, de generatione hominis, de quattuor paradisi fluminibus, de origine indictionis. sed de hoc similibusque codicibus, quos ipse non evolvi, nihil amplius sum additurus.

Tractatus de bisexto. Neque vero coniuncta semper traduntur haec capita, sed interdum unum alterumve avolsum et separatum a reliquis reperitur, id quod saepius evenit computationi illi dierum singulorum e Kalendis Nonis Idibus institutae, cui inscribunt περὶ βισέξτου, quae e. g. praemissis paucis illis de Augusto et Septembri mensibus sola legitur in codice Laurentiano LVIII, 24 saec. XIV f. 126^{v}, quem in usum meum benigne inspexit Ioannes Graeven amicus. sed cum hunc tractatum plerique codices non ex eodem fonte repetiverint e quo R, immo pendeant ex ea recensione libri Lydiani quam confecit Maximus Planudes, non hic, sed paulo infra de illis codicibus dicendi locus erit. hoc tantum monere liceat, saepius virorum doctorum coniecturis et correcturis huius tractatus verba et enuntiatorum compositionem adeo mutata esse, ut Laurentium

aegre agnoscamus, nedum affirmare possimus, quanam codicum recensione usus sit librarius. tale quid accidit in codice Vaticano graeco 11 chartaceo s. XIII f. 105r, ubi brevem quendam tractatum legimus τὸν μῆνα οἱ παλαιοὶ εἰς τρία διῄρουν κτλ.; descripsit hos versus Vaticanus graecus 9 s. XIV—XV f. 306r; simili autem modo alius vir doctus Lydiana verba, quibus mensium et bisexti computus illustrabatur, in usum suum correxit f. 196v codicis Vaticani graeci 926 chartacei s. XV.

Saepissime autem e Laurentiano libro de mensibus mutuati sunt recentiorum codicum librarii eum, qui libri quarti paragrapho vigesima sexta continetur, tractatum de generatione hominis et de diebus mortuorum sacris, qui sunt post mortem tertius nonus quadragesimus. atque de duabus quidem talium codicum recensionibus fusius egit C. Krumbacher (Studien zu den Legenden des heiligen Theodosius, Sitz. Ber. der Münch. Akad. 1892), qui alterius duodeviginti codices enumerat p. 343, alterius quattuor p. 350. codicibus autem prioris generis duos addidit G. Vitelli, Studi italiani di filologia II p. 138: Baroccianum 173 f. 351, Patriarch. Hier. 281 (1547) f. 199, quinto vero eorundem Studiorum volumine p. 100 a Rostagno codicem Laurentianum IV, 10 accuratius descriptum esse modo diximus; ipse praeter eos inspexi Parisinum graecum 2229 chartaceum s. XIII f. 22 et Vaticanum Palatinum graecum 209 chartaceum s. XIV f. 263v; quorum omnium codicum instar ut praestantissimum eius recensionis exemplar est R, a quo tractatus περὶ γενέσεως ἀνθρώπου exhibetur p. 41, 1 Treu: accedere illum quam proxime ad Laurentium et illius verba plerisque locis intemerata reddidisse supra diximus, nisi quod in excludendo enuntiato ἔστι δὲ βοτάνη — τριόβολα cur consentiam cum Krumbachero infra sum expositurus. Tractatus Splinii.

Exscriptos autem huius generis codices esse ex illa Lydiana paragrapho luculenter demonstravit R. Foerster, Jahrb. f. Philol. 113 (1876) p. 217 sq.; neque esset, cur plura de hoc tractatu, qui medii aevi hominibus admodum

cordi fuit, hodie quoque dissereremus, nisi vario modo inscriptio eius tradita esset. nam praeter illos codices, a quibus ut a codice R una cum reliquis Laurentii fragmentis sine ullo auctoris nomine generatio hominis enarratur, alii sunt, in quibus solus per se exaratus sit tractatus ille et adscribatur in margine auctoris nomen *Σπλινοῦ* (ita Neap. II C 33) vel *Σπληνίου φιλοσόφου* (Vindob. theol. 207), aut *Λιβανίου φιλοσόφου* (Par. gr. 2894) aut denique *Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ* (Monac. gr. 498), quorum longe saepissime occurrit *Σπληνίου* nomen, ita ut *Splenii* vel *Splinii* nomen adeptum sit fragmentum illud inter viros doctos. atque hoc quidem nomen corruptum esse ex *S. Plinius* pro *C. Plinius* coniecit olim Lambecius (comm. de bibl. Caes. V, 26); denuo haec quaestio mota est, cum E. Rohde eundem tractatum ederet e codice Vaticano graeco 12 in Actis soc. philol. Lips. I p. 28; dissensere deinde de explicando nomine L. Dindorfius (Jahrb. 1871 p. 331) et ipse Rohdius (Jahrb. 1871 p. 577. Act. soc. phil. Lips. V, 306), tum fusius disputatum est de eo a R. Foerstero, l. s. p. 218, qui eam explicandi viam ingressus est, ut sumeret exscriptum esse quondam e Laurentio tractatum illum *περὶ γενέσεως*, cuius verbis *οἱ τὴν φυσικὴν ἱστορίαν συγγράφοντες* — vel ut nunc plenius legitur *οἱ τῶν Ῥωμαίων τὴν φυσικὴν ἱστορίαν συγγράφοντες* p. 84, 14 — a sciolo quodam adscriptum sit in margine nomen eius quem medio aevo summum naturalium rerum auctorem putabant, *ΓΠλινίου*, aut ut tum scribere solebant *ΓΠληνίου*. mutato deinde incuria librarioruum prima littera *ΣΠληνίου* esse ortum, quod nomen cum corruptum esse intellegeret Parisini codicis auctor, mutavit in *Λιβανίου*, unde fit, ut hic tractatus etiam inter Libanii fragmenta receptus sit sine auctoris nomine:[1] Ioannis Damasceni vero nomen mero scribae cuiusdam arbitrio deberi opinatur Krumbacher.

Atque Foersteri quidem explicandi ratio ad verum

---

[1] hoc in codice Parisino graeco 1000 s. XV f. 170v accidisse benigne me monuit R. Foerster.

proxime accedit, nisi quod simpliciore etiam modo ortum esse Splinii nomen ipsis codicibus demonstratur. quod ut probemus, ad alteram illius tractatus recensionem a Krumbachero distinctam, quam adhuc negleximus, transeamus necesse est: cui addere iuvat codicem Monacensem graecum 551 chartaceum s. XV, quem in usum meum benigne inspexit Th. Preger. extant ibi ea, de quibus sermo est, f. 59[r] et incipiunt: *Ἰωάννου τοῦ Λυδοῦ. οἱ τὴν φυσικὴν ἱστορίαν συγγράφοντες, κόσμος δὲ αὐτῶν ὁ ῥωμαῖος σπλήνιος, φασὶ τὸ σπέρμα καταβαλλόμενον ἐν τῇ μήτρᾳ κτλ.* restituitur his verbis initium illius recensionis ad hunc diem corruptum (*κόσμος δὲ αὐτῶν ὁρώμενος πλὴν ὡς* Krumbacher p. 352), et ostenditur, in Lydi codicibus olim Plinii nomen in ipso verborum contextu extitisse et vitio quam levissimo (ΡΩΜΑΙΟCCΠΛΗΝΙΟC pro ΡΩΜΑΙΟC ΠΛΗΝΙΟC) in Splinii abiisse, quod postea in marginem pervenit ibique in variis codicibus varie mutilatum est. eo autem, quod in margine Lydi auctoris nomen servavit codex Monacensis graecus 551, prae reliquis, qui omisso illo Splinium sibi finxerunt, integrum se esse demonstrat. cui expositioni addere liceat, Parisinum graecum 2610, quem huius recensionis principem esse voluit Krumbacher, desinere in verbis *ἐπιγινώσκειν μητέρα* (p. 85, 22), cum a Monacensi integra exhibeatur paragraphus usque ad p. 86, 11 *ἐπιμιμνησκόμενοι* (*ἐπιμνησκόμενοι* Mon.). quae cum ita sint, Monacensem pro optimo sui generis codice habere licet neglecto Parisino.

Iam vero, si alterius huius recensionis verba comparamus cum iis, quae IV, 26 restituimus e Lydianis codicibus XS, statim videbimus, consentire illam quoque plane cum eo, qui quondam integri libri fuit, contextu: quin etiam ab hac orationem quam vocant indirectam servatam videmus esse ut initio paragraphi, p. 84, 16—18 et p. 85, 18—22, ubi enuntiatorum nexum mutavit recensio altera. tamen ab ipsis Laurentii verbis, qualia restituta sunt, tribus locis hoc codicum genus discrepat: commemorato Plinio et post p. 85, 7 *ἄρρενα* additis his: *καὶ τάχα πρὸς βραχὺ*

τὸ προστεθὲν ἀφέντες περὶ τοῦ πόθεν ἄρρενα ἢ θήλεα τίκτεται κατὰ τοὺς φυσικοὺς ἐροῦμεν, et descripto medicamine illo, quo iam in codice R offendebamur (vide supra p. XVI), quodque in nostris codicibus sic plenius delineatur: *ὁ* (*ἡ* cod.) *δὲ Ἀντίγονός φησι τὸ θηλυγόνον* (*θηλύγονον* cod.) *καὶ ἀρρενογόνον* (*ἀρρενόγονον* cod.) *βοτάνας* (*βοτάνη* cod.) *εἶναι, ἀπὸ δὲ τοῦ συμβάντος τὴν ἐπωνυμίαν αὐτὰς εἰληφέναι· τὸ μὲν γὰρ αὐτῶν ποιεῖν τὰς θηλυτόκους ἀρρενοτόκους, τὸ δὲ θηλυγόνον* (*θηλύγονον* cod.) *ἀνάπαλιν πινόμενον* (*πίνεσθαι* cod.) *τριώβολον* (*τριόβολον* cod.) *ἐν οἴνῳ ἀπὸ πρωΐ.* atque de his tribus additamentis unum idemque ferendum esse iudicium apparet: aut enim legebantur olim in Lydiano libro — tum in editionem recipienda sunt —, aut postea intrusa sunt a viro quodam docto — tum removeri debent. ego hac in re ambigi posse libenter concedo: nam nec gloriari Plinii nomine inepte recentiorum commentis indito, neque Antigoni scripta adhibere a Laurentii ingenio alienum est. contra autem monere liceat, codices et X et S, quod quidem e reliquis Laurentiani libri partibus apparet, auctorum nomina diligenter servasse: quare veri haud ita esse simile, omissuros eos fuisse et Plinii et Antigoni mentionem apud Lydum repertam. cumque esset quaestio, quidnam editorem facere deceret in re tam dubia, ego, ne quid incerti in editionem reciperem, omittenda illa esse duxi, ut quae Lydiana esse certis argumentis demonstrari nequeat; ita ut aliquatenus consentiam cum Krumbachero, qui, ut supra diximus, p. 347 verba alterius codicum generis *ἔστι δὲ βοτάνη — τριώβολα* aperte interpolata esse contendit.

Ex iis, quae modo attulimus, sequitur, tribus rationibus servatum nobis esse tractatum illum de generatione hominis. aut enim una cum reliquis excerptis Lydianis traditur auctore nullo nominato, aut per se stat in singulis codicibus addito Splinii nomine, cuius recensionis duplex extat genus, amplius unum et in brevius contractum alterum. atque haec quidem duo genera ad unum idemque archetypum redire ipso auctoris nomine

in omnibus fere codicibus pariter corrupto demonstratur; et prioris recensionis praestantissimum esse codicem R autumavimus, quem una cum reliquis, quotcumque iisdem abundant excerptis Lydianis, ex eodem fonte derivatum esse scimus. iam restat ut quaeramus, utrum ex hoc ipso codicis R reliquorum archetypo deductus sit codicum Splinianorum princeps necne: quod ego affirmem; valde enim inter se similes sunt codex R et Spliniana brevior recensio et in utraque Antigoni verba leguntur eodem modo in brevius contracta.

Vereor tamen, ne iustum modum excedat praefatio, si fusior in describendis his similibusque codicibus esse velim; quare eos iam relinquamus necesse est, praesertim cum omnino nihil, quod ad restituenda Laurentii verba usui sit, nobis afferant. sed de uno praeterea codice dicendum est, qui pauca illa de Augusto et Septembri mensibus et de Caesaris fortuna (R p. 8, 3—19 Treu) servavit: codicem Parisinum graecum 854 s. XIII bombycinum dico, in cuius f. 5ʳ illa leguntur. commemorandus autem hic est codex, quia ab eiusdem apographi librario alterum quoque frustulum e libro de mensibus petitum est; legitur enim f. 159 tractatus *περὶ Σιβύλλης*, quem editionis meae p. 102, 5—105, 12 inserui. quod fragmentum publici iuris primum factum est in Crameri anecdotis Parisinis t. I p. 332 sqq.; iterum typis excudendum curavit E. Maassius in opusculo de Sibyllarum indicibus conscripto p. 44 sq., qui p. 46 auctori quoque cui debetur hic tractatus investigando operam dedit. coniecerat autem iam Cramer totum eum desumptum esse ex Ioanne Lydo; quam coniecturam adoptavit Maassius additis his argumentis: constare disquisitionem de Sibyllis in codice Parisino servatam e tribus partibus, quarum prima enumerari Sibyllas: cuius enumerationis fontem esse veterem quendam Sibyllarum indicem, qualem iam multo ante Laurentii tempora conscriptum fuisse in iis quae praecedunt demonstravit Maassius. altera vero parte summam oraculorum Iudaeorum praestringi, tertia denique de Sibyllae Cumanae cum Tarquinio rego colloquio

Par. gr. 854

agi: hanc autem ipsam tertiam partem ad verbum consentire cum Lydianis excerptis (p. 104, 22). cum vero has tres partes ab eodem auctore conscriptas esse constet eo quod unaquaeque pariter excellat studio geographorum, rerum Iudaicarum, oraculorum quae Sibyllae nomine feruntur, necessario sequi, ut totus ille tractatus Laurentio Lydo tribuatur. in quam sententiam dum pedibus eo, nonnulla addere liceat; nam et interpretatio illa nominis Sibyllae e lingua latina deducta (*τὸ Σίβυλλα ῥωμαϊκὴ λέξις ἐστὶν ἑρμηνευομένη προφῆτις*) Lydianum stilum vehementer sapit, et morem fuisse auctoris nostri, ubi unum attigerit numen, reliqua quoque eiusdem nominis enarrare, haud ignoramus; e. g. conferas p. 121,25, ubi de septem Herculibus agitur. Iudaicarum autem rerum studium, cuius vestigia saepius in hoc tractatu de Sibyllis occurrunt, nos non offendet in Laurentio, qui aliis quoque locis talia exponit; e. g. adeas auctorum indicem s. v. *Ἑβραῖοι* et nominum indicem s. v. *Μωυσῆς*. neque alienum est a Lydi indulgentia in religionum mysteria conversa, quod proferuntur oracula, quae Sibylla Iudaeorum olim ediderit, cum in reliquis quoque libri de mensibus partibus passim oracula prolata invenias (v. auct. ind. s. v. *χρησμός*). ceterum monere liceat, oraculum illud, quod de Antiochia bello devastata datum profert Laurentius, ad irritum haud cecidisse: narrat enim ipse auctor noster urbis illius excidium in libro quem de magistratibus populi Romani conscripsit III, 54: unde concludas, interfuisse eius historiam illius temporis, quo per ora omnium oraculum illud volitasse probabile est, posteris tradere. num vero, quae de antro Cumano et de Cypro insula afferuntur, ita cum Maassio sint explicanda, ut sumamus Lydum describere, quae ipse viderit, hoc in medio relinquam: numquam enim in illo, quae ipse invenerit quaeque ex aliis transtulerit, satis accurate sciemus.

Quaerentibus autem, quemnam locum inter reliquos Laurentii codices occupet Par. gr. 854, nihil affirmare

licebit nisi descriptum esse hunc tractatum Sibyllinum ex integro aliquo libri de mensibus codice, qui epitomatorum pravam sedulitatem passus nondum erat, fortasse a viro aliquo docto, cui haec materia cordi erat. simili enim modo saepius accidit, ut in codice quodam, qui nullum apertum cum Laurentio nexum habeat, tamen singula fragmenta ex integro de mensibus libro excerpta occurrant, quae reliquorum codicum testimonio ad illum revocare licet. huius generis fragmentum illud *περὶ χάρτου* est, quod e Parisino graeco 1231 quondam edidit Boissonadius in anecdotis graecis vol. I p. 420; ego iis, quae de illo editionis p. 13, 11 app. dixi, quod addam non habeo.

Quodsi vero rectum de illo codicis Parisini 854 tractatu iudicium tulimus, legem iam statuere possumus, quam secutis nobis alia quoque fragmenta anonyma Laurentii libro de mensibus vindicare licebit. ubicumque enim occurrit tractatus aliquis, cuius verba a primis ad extrema idem secuntur dicendi genus eoque non a pluribus, sed ab uno solo auctore conscripta videntur esse, ubi porro illius tractatus materia adeo sibi constat, ut ex uno fonte integra derivata esse debeat, eiusque particula denique aliqua consentit cum iis, quos Laurentianum illud opus continere constat codicibus OXYS, integrum illum tractatum Lydiano operi *περὶ μηνῶν* inserere non dubitabimus. atque saepius quidem hac lege utendum erit evolventibus codicem Parisinum graecum 1630, bombycinum s. XIV, quem P nota significabo. descripsit cod P illum Fabricius in Bibliotheca graeca, editionis ab Harlesio curatae t. XI p. 566 sqq., ubi quasnam res contineat accuratius enumeratas reperies.[1] atque iam singula excerpta, quatenus quidem ad Lydum videntur spectare, contemplari liceat eodem quidem ordine, quo extant in editione.

Codicis P folio 113^{r} sqq. exaratus est tractatus qui-

---

[1] de eodem codice egit cum scriberet de carmine, quod vulgo Phocylidi tribuitur, Gu. Kroll mus. Rh. t. XXXXVII p. 457.

dam amplior cui inscribitur *περὶ ἱπποδρομίου*. qui cum consentiret compluribus locis (p. 4, 26 sqq. p. 6, 7 sqq.) cum codicibus XYS, neque in reliquis quidquam esset, quod non ex eodem quo reliqua auctore deductum esse appareret, integer a me in librum Lydianum relatus est, praesertim cum iis quoque partibus, quarum nullus consensus eam reliquis codicibus hoc loco est, Laurentii doctrinam nobis tradi demonstraretur libro IV § 25 (cf. P p. 6, 24 = XY p. 89, 7, P p. 7, 1 = p. 89, 13. 21). edidit hunc tractatum — atque ex ipso nostro codice, ut conicere licet — primus Stephanus Le Moyne in 'Variis Sacris ceu Sylloge variorum opusculorum Graecorum ad rem ecclesiasticam spectantium', Lugd. Bat. et Trai. ad Rh., ed. alt. 1694, tom. I p. 503; quas autem codici suo tribuit lectiones, haud ita diligenter enotasse eum apparet, e. g. scribit p. 3, 19 *ἐρωτεῖσα*, p. 4, 4 *αἰπώλω ἐχράσατο*, quare ut illius editione spreta mea contentus sis collatione quaeso. praeter Le Moynium vero eodem fere tempore quo ille hunc tractatum sibi exscripsit Claudius Salmasius, qui in 'exercitationibus Plinianis in C. Iulii Solini polyhistora', Traiecti ad Rhenum 1689, passim frustula eius profert. sunt autem haec:

p. 633ª E: Graeci: *δώδεκα δὲ ὕσπληγες — ἔχων τὸ σύνθημα* (ed. p. 5, 15 — 6, 1). ulteriora inde a voce *μαππάριος* repetuntur p. 647ᵇ C, quibus additur *καὶ τὴν μάππαν ἀναλαμβανόμενος — ἐπετέλει* (p. 6, 5 — 7).

p. 635ª D: auctor vetus graecus *ἀνώνυμος: ἡ δὲ προρρηθεῖσα — πλάτος ἑνός* (ed. p. 4,23 — 26). cf. p. 638ᵇ B *ἡ γὰρ δὴ προρρηθεῖσα — τὴν κίνησιν* (p. 4, 23 — 5, 3).

p. 637ᵇ G: graeculus auctor anonymus: *ἑπτάκις δὲ ἐκύκλουν — ἑπτὰ πλάνητας* (p. 6, 7 — 10 app.); cf. eadem p. 638ᵇ D, 642ᵇ G prolata.

p. 639ª B: alius auctor anonymus: *ἐν δὲ τοῖς παρ' ἑκάτερα — Ἑρμοῦ καὶ Σελήνης* (p. 5,7—11).

Sententiae controversae.

I. Quod in Pindari reliquiis a Theodoro Bergk quartum editis numeratur fragmentum 157, ex eodem carmine desumptum est e quo fragmenta 129. 130.

II. Cornelius Tacitus cum librum conscriberet de Germanorum populis ac moribus, saepius non instituta Germanorum propria depinxit, sed locos protulit generis ethnographici communes.

III. Veterum fabulae, quibus homines introducuntur a morte suscitati, magna ex parte id agunt, ut ipsorum auctorum sententiis de fatis quae hominem post mortem sint exspectatura, maior addatur fides.

IV. Chares comicus auctor fuit, non tragicus.

V. Ioannes Laurentius Lydus in componendis libris graeca aliqua versione operum Suetonianorum usus est.

VI. Auctor epistulae quae Palladio tribuitur (historia Alexandri fabulosa III, 7) praeter reliquos auctores Ctesiae quoque Cnidii notitiam habuit.

VII. Ad Pomptinarum paludum exsiccationem, quam propediem sunt instituturi, propter monumenta antiqua ibidem latentia philologos animum intendere oportet.